

QUÆSTIONES LXXX, LXXXI ET LXXXII.

I. In istis tribus ultimis quæstionibus agit S. Thomas de summentibus hoc sacramentum, et de ministro illius. Et quia inter summentes diversa est difficultas, quomodo nos sumamus, et quomodo Christus sumpserit; ideo S. Thomas in quæstione LXXX agit de summentibus communiter; et in quæstione LXXXI de modo quo Christus sumpserit, et usus fuerit hoc sacramento; in quæstione autem LXXXII agit de ministro, ad quem pertinet conficere, et dispensare hoc sacramentum.

DISPUTATIO XXXI.

DE SUMPTIONE HUIUS SACRAMENTI, ET DE MINISTRO.

ARTICULUS I.

Quæ dispositio requiratur ad dignam sumptionem huius sacramenti?

I. Ad hunc titulum reducimus omnes difficultates, quæ in hac quæstione tractantur a S. Thoma. Omnia enim quæ ad sumptionem et usum huius sacramenti pertinent, fere ordinantur ad discernendam dispositionem huius sacramenti. Quia vero condigna susceptio supponit capacitatem sumendi in sub-

jecto, antequam agamus de dispositione condigna, quæ ordinatur ad suscipiendum hoc sacramentum cum fructu

II. Supponendum est, quibus concedatur usus huius sacramenti, et qui sint capaces recipiendi illud: et suppono aliud esse sumere vere et proprie sacramentum, aliud esse habere jus ad sumendum illud, ita quod possit effectum habere, nisi impediatur ex indispositione subiecti. Ad hoc enim ut sumatur sacramentum, sufficit quod possit manducari corporaliter. Unde sive sumatur a peccatore, sive ab infideli et pagano (imo etiam a bruto) id quod sumitur vere et proprie sacramentum est; neque enim desinit esse sacramentum, eo quod a bruto, vel ab infideli sumatur, quia Christus Dominus non desinit esse sub speciebus, nisi species ipsæ corrumpantur. Bene ergo stat, quod possit animal brutum (et multo magis homo infidelis) hoc sacramentum sumere. Cæterum licet hæc manducatio sit veri sacramenti sumptio, non tamen est sumptio sacramentalis, id est, sumptio ab his, qui habent jus sumendi, et in quibus ordinari potest sumptio ad effectum spiritualem.

III. Loquendo ergo de sacramentali sumptione, dicimus esse capax illius omnem hominem viventem baptizatum, nisi aliquo præcepto vel pœna ecclesiastica impediatur; ad fructuosam autem sum-

ptionem ulterius requiritur, per se loquendo, quod sit homo justus, et in gratia. Dicitur homo, ad exclusionem Angelorum, qui non possunt proprie sumere hoc sacramentum, etiam in corporibus assumptis, quia proprie et vitaliter non manducant. Excluduntur etiam bruta, quia etsi possint manducare species sacramentales, non tamen modo sacramentali, id est, ordinato de se ad fructum spirituales. Dicitur vivens, ad exclusionem hominis mortui, quia homo mortuus non potest manducare. Dicitur baptizatus, quia baptismus est janua omnium sacramentorum, et per illum datur potestas ad recipienda sacramenta modo sacramentali; et ad hoc datur character in baptismo. Unde sicut sine characterе ordinis non habet quis potestatem activam ad conficienda sacramenta, quæ per ordinem confici possunt, ita sine characterе baptismi non habet potestatem ad recipienda reliqua sacramenta modo sacramentali. Unde etiamsi catechumenus, et ille qui habet votum baptismi, si habet actum charitatis, sit justificatus, non tamen potest eucharistiam suscipere sacramentaliter.

IV. Addimus in conclusione, nisi aliquo præcepto, vel pœna ecclesiastica sit impeditus, quia per ecclesiasticum præceptum, et ordinationem non permittuntur omnes baptisati sumere hoc sacramentum; sed requiritur in eis usus rationis, ut possent ad communionem huius sacramenti admitti; et talis usus rationis, qui possit sufficienter discernere excellentiam huius sacramenti, et cum debita reverentia ad illud accedere. Fundaturque hoc in universali consuetudine Ecclesiæ denegantis parvulis eucharistiam, quam consuetudinem approbat Tridentinum sess. xxii, ca-

pite iv, licet admittat veterum patrum consuetudinem dandi parvulis eucharistiam, et pro sui temporis ratione probabilem causam sui facti habuisse ad talem consuetudinem habendam, vel tolerandam. Unde colligitur parvulos non esse simpliciter incapaces eucharistiæ, sed tantum ex præcepto Ecclesiæ, seu ordinatione talem sumptionem modo non esse licitam propter indecentiam, quæ timeri posset, si communiter parvulis daretur eucharistia; quæ indecentia in tanta multitudine fidelium vix esset evitabilis.

V. Ex eadem autem ratione propter indecentiam, et irreverentiam negatur eucharistia perpetuis amentibus, quia isti reputantur ut parvuli, et cum eadem irreverentia tractare possunt hoc sacramentum sicut parvuli; si tamen habeant lucida intervalla, in quibus habeant usum rationis, in illis poterunt eucharistiam suscipere. Similiter si ex phrenesi, vel tussi, vel vomitu probabiliter timeatur irreverentia, vel quod infirmus vomat eucharistiam, non est illi danda. De quibus omnibus videri possunt ordinata in rubricis ritualis Romani auctoritate Pauli V, in rubrica de sacramento eucharistiæ. Semper enim Ecclesia anteposuit vitare omnem irreverentiam huius sacramenti, quam juri ipsorum fidelium satisfacere ad sumendum illud; præsertim quia cum periculo irreverentiæ non currit jus, et potestas sumendi eucharistiam.

VI. Ex pœna autem Ecclesiæ remonentur a communionem excommunicati; Ecclesia enim habet potestatem super fides ad prohibendum illis sacramentorum communicationem et suffragiorum; et ita id fit per excommunicationem majorem, per quam privantur fideles a passiva et activa administratione

sacramentorum. Quod vero attinet ad condignam dispositionem, qualis requiritur non solum ad suscipiendum sacramentum, sed etiam fructum et effectum hujus sacramenti, dicendum est hanc dispositionem esse multiplicem, tum ex parte animæ, tum ex parte corporis. Potest etiam considerari dispositio quæ requiritur ad habendum præcise effectum gratiæ, seu ad augmentum gratiæ, vel ad habendum alios effectus actualium auxiliiorum, vel specialis dulcedinis et suavitatis, quæ ex hujus sacramenti usu percipitur.

VII. Dico primo: Ad consequendum augmentum gratiæ habitualis ex opere operato, non est necessaria actualis aliqua dispositio, id est, actualis actus charitatis, vel alterius virtutis aut considerationis; imo etiamsi aliquis actualem effectum peccati venialis habeat, et actu sit distractus, consequitur effectum hujus sacramenti ex opere operato, licet non ita abundanter, sicut si haberet actualem dispositionem. Itaque ad habendum effectum hujus sacramenti, sufficit quod accedat in gratia habituali. Ita sumitur ex S. Thoma supra quæst. LXXVI, art. VIII, ubi resolvit quod augmentum gratiæ et charitatis non tollitur per actum peccati venialis, quo acceditur ad hoc sacramentum. Et licet oppositum insinuet in IV, dist. XII, quæst. II, art. I, quæst. III, tamen potest interpretari quod loquitur ibi de augmento gratiæ non habituali, sed actuali, id est, quoad effectus actualis dulcedinis, licet aliqui dicant hic mutasse sententiam. Ratio autem et fundamentum est, quia sic accedens non ponit obicem sacramento, et alias habet primam gratiam; ergo non est ratio cur privetur effectui hujus sacramenti, quia sacramenta præbent effectus suos non ponentibus

obicem, ut constat ex Tridentino sess. VII, can. VI. Quod autem sic accedens non ponat obicem patet, quia ut supponimus, accedit in gratia, neque illi repugnat; carentia enim sola actualis devotionis non est repugnantia et impedimentum respectu gratiæ augendæ, neque specialis aliqua irreverentia, quæ sit peccatum mortale, ut supponimus, quia solum cum distractione veniali accedit; ergo non est unde impediatur sacramentum operari.

VIII. Dico secundo: Qui habet conscientiam peccati mortalis tenetur jure divino præmittere confessionem, si velit communicare; et non sufficit habere contritionem, seu conari ad illam, dummodo copiam confessoris habeat. Conclusio est certa, et definita in concilio Tridentino sess. XIII, can. VII et XI, ubi etiam ponitur excommunicationis pœna, si quis contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere præsumperit. Et sic ad talem pœnam incurrendam requiritur, quod scienter et advertenter id faciat ex præsumpto animo. Quod autem sit de jure divino, et non ex jure positivo ecclesiastico constat, quia Concilium afferens illa verba Pauli I ad Corinth. II: *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, etc.* dicit: « Ecclesiasticam consuetudinem declarare, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis (quantumvis sibi contritus videatur) absque præmissa sacramentali confessione ad sacram eucharistiam audeat accedere. » Intelligit ergo Concilium solum consuetudinem Ecclesiæ declarare, non vero statuere legem hanc. Et ita consensus patrum, qui pro hac parte stat, supponit legem in Scriptura latam, non ab Ecclesia introductam; nec tamen ex ipsa natura

sacramenti videtur orta hæc obligatio, sed ex præcepto divino positivo illis verbis Pauli explicato, et sic declarato per Ecclesiam.

IX. Solum dubitare quis posset, quando intelligitur vere et proprie non adesse copiam confessoris. Respondetur intelligi quando non adest, non solum physice, sed etiam moraliter; id est, taliter quod possit eo uti humano modo. Dupliciter enim potest dari præsentia confessoris: uno modo physice, quia adest persona ipsa confessoris; aut e contra absentia physica, quia abest physice ipse confessor: alio modo moraliter, quia scilicet non solum physice adest, sed etiam non est impeditus, nec ex parte sua, neque ex parte mea, ut possit audire confessionem, et similiter potest esse absens moraliter, quia scilicet etsi sit præsens physice, vel facile possit esse præsens, tamen intercedit aliquod impedimentum, ratione cujus est perinde ac si non esset præsens in ordine ad confessionem. Primo ergo verificatur quod non sit copia confessoris, quando confessor non est præsens actu, vel non est in tali distantia, unde possit commode venire, vel ego illuc accedere, vel alias instat necessitas communicandi, vel faciendi sacrum; cum ista enim necessitate mensuranda est illa absentia. Si enim nulla est necessitas, non currit casus, sed debet omittere sacrum potius quam sine confessione illud facere. Quanta autem distantia censeatur sufficiens absentia, non potest una regula definiri, quia respectu unius subjecti una leuca est magna distantia, et respectu alterius parva; et in aliquo tempore est magna difficultas itinerandi per illam leucam, in alio parva. Secundo, si sacerdos sit præsens physice, sit autem impeditus vel infirmitate, vel surditate, vel alia occu-

patione qua nolit confessionem audire, censeatur moraliter abesse. Tertio, si ex parte sua sit dispositus audire, ex parte tamen mea probabile periculum timeo, quod ex tali confessione imminet mihi periculum aut revelationis confessionis, aut alterius damni gravis pro me, vel pro meis, est perinde ac si non haberem copiam confessoris. Et unico verbo, quid excusat ab integritate confessionis, quando non est alius sacerdos, excusat in nostro casu a præmittenda confessione, si non habeo aliud peccatum mortale quam illud; vel excusat ne illud confiteatur, sed alia, si alia peccata habeam.

X. Oportet tamen ex his omnibus cum magna prudentia procedere, nec facile fingere istos timores de damno ex confessione secuturo, ac nisi magnum sit fundamentum, et probabilis ratio. Quod vero aliqui extendunt hunc casum, quod moraliter censeatur non adesse copiam confessoris, quia non adest confessarius proprius, vel cum quo devotius aut accommodatius soleo confiteri, non est sufficiens causa, ut confessionem prætermittam, quia hoc non est moraliter deesse copiam confessoris, sed solum deesse commoditatem meam, et quod aliquid amplius ruboris aut verecundiæ patiar cum tali confessario, quam cum alio: quod certe est absurdum tanti aestimare, ac si simpliciter non esset copia confessoris: quod si confessarius, qui adest, jurisdictionem non habet, aut quia simpliciter non est expositus, aut quia peccatum meum est reservatum, et non habeo ullam, vel privilegium quo possim illud confiteri, censebitur non dari copiam confessoris, ut multi auctores tenent; licet alii dicant, posse tunc, et debere confiteri peccatum reservatum, cum onere illud iterum confitendi superiori, quia sacerdos

pro illa instante necessitate potest indirecte absolvere a reservatis, cum onere comparandi ante superiorem; quod si potest absolvere, jam datur copia confessoris: sed de hoc in materia de pœnitentia agetur.

XI. Dico tertio: Quando copia confessoris non datur, adhuc ut possit quis licite ad eucharistiam accedere sine confessione, debent duæ conditiones concurrere. Prima, quod siturgens necessitas communicandi, vel faciendi sacrum: secunda, quod conetur ad contritionem habendam, et non solum attritionem, quantum potest. Prima deducitur ex Tridentino sess. xiii, can. vii, ubi loquens de sacerdote celebrante sine copia confessoris, dicit: « Quod si necessitate urgente debeat celebrare, etc. » ergo supponit non habere locum extra causam necessitatis communicare, vel celebrare non præmissa confessione. Quid autem nomine casus necessitatis urgentis intelligatur, non potest unica regula assignari, sed variæ causæ ab auctoribus adducuntur, quæ omnes reduci possunt ad quatuor. Primo, ad periculum mortis; secundo, ad periculum infamiæ, vel scandali gravis, si communio, vel missa omittatur; tertio, ad necessitatem ipsius sacrificii, quando jam inchoatum est, et non potest sine gravi scandalo sacerdos confiteri peccatum, cujus tunc recordatur; quarto, propter necessitatem populi, ne maneat sine missa; quæ necessitas currit in parochis, quia tenentur ex officio ministrare populo missam. In aliis enim sacerdotibus non habentibus curam animarum, non potest ex hac parte sumi necessitas, ut propterea sine confessione missam celebrent; nam etiam si tunc omittant sacrum facere, non ei imputabitur quod populus non audierit, quia hoc non est eorum curæ commissum.

XII. Ex Concilio autem Tridentino

præceptum est sacerdotibus, qui hac necessitate urgente sine prævia confessione celebrant, quam primum possint confiteri; quod præceptum non obligat laicos absque prævia confessione communicantes, quia expresse loquitur Concilium de sacerdotibus; neque in onerosis legibus facienda est extensio ultra casum legis. Neque etiam obligat omnem sacerdotem, sed tantum illum qui necessitate urgente celebrat, quia Concilium voluit evitare, ne facile quis prætenderet causas necessitatis, et sic differret confessionem ratione illarum. Ille autem qui ex pura malitia omittit confessionem, non indiget tali præcepto, quia tam abundans malitia, quæ audet ad sacramentum accedere sine confessione nulla urgente necessitate, tali præcepto non poterit coerceri.

XIII. Secunda vero pars conclusionis, quod debeat tunc conari ad contritionem, et non sufficiat sola attritio cognita, ut possit cum probabili conscientia accedere, constat ex supra dictis, quia hoc sacramentum per se et directe non dat primam gratiam, sed supponit illam esse in subjecto, ut sumi possit per modum cibi; ergo dispositio qua acceditur ad illud talis esse debet, quod det primam gratiam ante sumptionem sacramenti, vel saltem probabiliter existimetur talis esse: attritio autem cognita non dat primam gratiam sine sacramento; ergo non est sufficiens dispositio ad eucharistiam.

XIV. An vero qui jam est confessus, si recordetur peccati mortalis ante communionem, vel celebrationem, teneatur illud confiteri ante communionem, respondetur per se teneri, nisi sit aliquid scandalum vel infamia. Ratio est, quia quamdiu illud peccatum incipit innotescere, tenetur illud subjicere

clavibus Ecclesiæ, etiam si per accidens fuerit remissum in præcedenti confessione: ergo in casu quo jure divino tenetur confiteri (ut est in præsentibus) obligatur etiam tale peccatum subjicere clavibus Ecclesiæ, quamdiu durat illud præceptum; durat autem quousque communicet: ergo.

XV. Dico quarto: Ad habendos effectus actualis devotionis et charitatis, requiritur actualis attentio. Patet hoc, quia non potest excitari voluntas nisi actus cogitetur de eo, de quo est excitatio: si enim sit quis distractus, vel non cogitans, non potest ei aliquid esse volitum, quia nihil volitum, quin præcognitum.

XVI. Dico ultimo: Ex parte corporis requiritur duplex dispositio ad communionem; altera de necessitate, scilicet, quod aliquis sit jejunos naturalis, extra casum viatici, vel alios casus extraordinarios; altera de decencia, scilicet, quod non sit pollutus intra illum diem, in quo est communicaturus. Quod si pollutio sit cum peccato mortali, vel ex illo causata, prius confiteri tenebitur, sicut de aliis peccatis mortalibus dictum est. Prima pars constat ex traditione apostolica, quam D. Augustinus docet epistola cxviii, cap. vi; Cyprianus epistola lxxii, alique patres communiter, et plura Concilia, ut sexta Synodus Trullana can. xvii, Bracarense I, can. xvi, ubi revocatur licentia communicandi in die cœnæ post sumptum cibum, quæ habebatur in Concilio Africano can. viii, et Carthaginense III, can. xxiii. Videri etiam potest Concilium Bracarense II, can. x, et Toletanum VII, can. II. Intelligitur autem nomine jejunii naturalis, quod a media nocte, in qua inchoatur dies, nihil sumatur, et transeat in stomachum per os, quod rationem cibi vel potus habere possit. Quidquid

aliud sit, quod cibus et potus non sit, sive reliquiæ cibi, sive aliqua humiditas vel exhalatio, aut odor, quæ cum saliva miscentur, non tollunt jejunium naturale. Si tamen reliquiæ cibi in ore relictæ tales sint, quod possint nutrire, impediunt communionem; nec sufficit aliquid ore tenere, sed requiritur quod trajiciatur de facto, ut impediatur communionem.

XVII. Excipitur autem primo, quando datur eucharistia per modum viatici, eo quod infirmitas non potest his legibus jejunii adstringi, pluresque sine eucharistia decederent, si jejuni solum possent communicare, quod esset denegare eis magnum subsidium pro morte. Quod si post sumptum viaticum iterum in eadem infirmitate velit communicare infirmus, non est ei denegandum viaticum, ut colligitur ex rituali Romano; et sufficit quod inter unam et alteram communionem intercedant octo vel decem dies. Secundo, potest sumi sacramentum a non jejuno, quando id est necessarium pro ipso sacramento perficiendo; ut si consecrata altera specie sacerdos recordetur se non jejunum, tenetur perficere et sumere. Et idem est, si post missam inchoatam ante consecrationem recordetur, et non possit sine scandalo recedere ab altari. Item si sumpto calice videat non esse vinum id quod sumpsit, tenetur iterum consecrare, et sumere; similiter si post inchoatum sacrificium sacerdos infirmetur, et non inveniatur alius sacerdos jejunos, debet sacerdos, etiam non jejunos, perficere. Tertio, si post ablutionem sumptam reperiat aliquas reliquias quæ commode servari non possint, possunt sumi a sacerdote, quia adhuc tenetur perficere sacrificium. Quarto, propter vitandam gravem irreverentiam sacramenti, ut non veniat in manus

infidelium, vel ne comburatur, potest a non jejuno sumi.

XVIII. Quoad secundam partem conclusionis dicimus, quod in pollutione considerantur duo; aut culpa mortalis, si fortasse intervenit in illa; aut corporalis illa fœditas, vel distractio mentis inde relicta, etiamsi sine peccato acciderit. Quoad primum impedit pollutio communionem, sicut alia peccata mortalia, id est, quamdiu non fuerit peccatum illud pœnitentia deletum, et confessum: quoad secundum etiamsi pollutio peccato careat, aut etiamsi quis culpam illius fuerit confessus, habet specialem indecentiam, tum propter impuritatem, tum propter distractionem mentis. Hæc tamen non de necessitate impediunt communionem, sed de decencia; relinquendumque est confessoris arbitrio, ut ipse decernat, an expediat

sic accedere; et sic cum humilitate et subjectione omitti debet communicatio, vel non omitti. Si non magna urgeat necessitas, aut festus dies, melius est abstinere pro illo die, quam communicare.

XIX. Advertendum est, quod quando diximus supra, amentem qui lucida habet intervalla in illis communicare posse, etiam posse communicare dum est in amentia, si prius habuit usum rationis cum affectu et dispositione ad hoc sacramentum, ut sentit S. Thomas quæstione LXXX, articulo VII. Et idem est de energumenis seu dæmoniacis. Solum volumus dicere, quod tam in istis, quam in aliis, et in quibuscumque adultis, non sit periculum irreverentiæ; tunc enim deneganda est communicatio, et hæc pro regula habenda est.

QUÆSTIO LXXXIII.

DE SACRIFICIO MISSÆ:

I. In quæstione LXXXII agit S. Thomas de ministro, resolvitque in primo articulo, proprium esse sacerdotis consecrare istud sacramentum, quia solum illi datur potestas supra corpus Christi. Resolvit in secundo, plures sacerdotes simul posse eandem hostiam consecrare, ut patet in ordinatis, qui simul cum episcopo eandem consecrant hostiam; ad quod dicit Innocentius III, quod intentio omnium debet ferri ad idem consecrationis instans. In tertio, solum ad sacerdotem pertinere hujus sacramenti dispensationem: quod patet tum ex facto Christi, qui in cœna corpus quod consecravit ipse, aliis sumendum dedit; tum ex eo quod ad tangendum hoc sacramentum, propter ipsius maximam reverentiam, requiritur consecratio; solum autem manus sacerdotis consecrantur, unde nulli tangere licet, nisi in necessitate, ut si caderet in terram, verbi gratia. In quarto, asserit teneri sacerdotem consecrantem hoc sacramentum sumere, quia simul est sacrificium; quicumque autem sacrificium offert, debet illius fieri particeps. In quinto, quod etiam malus sacerdos consecrare potest, si quidem ei, quantumvis peccator sit, non aufertur character, seu potestas in ordine sibi data. In sexto, non minus valere missam mali sacerdotis, quam boni, quantum ad rationem sacrificii, non vero quan-

tum ad fructum seu efficaciam quam habent orationes, quæ in missa dicuntur ex devotione sacerdotis. In septimo, posse etiam hæreticos, schismaticos et excommunicatos consecrare, quia in eis remanet character, licet non licite possint. Idem etiam propter eandem rationem asserit articulo VIII, de degradatis. Tandem in nono resolvit, non licere sacerdoti omnino a celebratione cessare, sed teneri saltem in præcipuis festis. Reprehenduntur enim II Macch. IV, qui jam non circa altaris officia, cum essent sacerdotes, dediti erant, contempto templo, et sacrificiis neglectis, Apostolusque hortatur II ad Corinth. VI: *Ne in vacuum gratia Dei recipiatur.*

II. Celebrationem sacramenti eucharistiæ, quæ sacrificium est, nomine ritus hujus sacramenti S. Thomas appellat. Et primo agit de eo quod pertinet ad substantiam sacrificii, ostendens articulo primo, quod in hoc sacramento Christus immolatur: hæc enim est substantia sacrificii: deinde in reliquis articulis agit de accidentibus et circumstantiis illius, scilicet de tempore quo celebrandum est, de loco, de dictis seu orationibus, quibus celebratur; de factis seu actionibus, quæ in illa celebratione fiunt; et tandem de defectibus, qui possunt occurrere in hac celebratione, et quomodo supplendi sunt.